DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
HYDROMETRA.

AUCTORE

EDUARDO HEINE
HAMBURGENSI
MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORE.

ERLANGAE,
TYPIS JUNGEANIS. MDCCCXXXIII.

Hydrometra.

§. 1.

Morbi definitio et divisio.

Hydrometra sive hydrops uteri, ex qua voce ipsius morbi natura optime cognoscitur, constat ex nimia eaque irregulari accumulatione et copia humoris aquosi, qui in variis uteri partibus congestus, triplicem constituit uteri hydropem.

1) *Hydrometra cellulosa*, seu *oedema uteri*. Tela cellulosa uteri magna aquae multitudine referta distinetur, et distenditur. Commemoratur in libro, qui inscriptus est „Philosophical transactions" in hoc morbo, aquam inter externum uteri parietem atque internam peritonei partem fuisse collectam.

2) *Hydrometra cystica, vesicularis, hydatica, saccata.* Reperitur quidem aqua in ipsa uteri cavea, sed in saccis et hydatidibus inclusa.

3) *Hydrometra ascitica* sive *independens*, quae in eo maxime cernitur, quod aqua libere in utero fluctuat. Duo sunt exempla, in quibus uteri orificium, membranis solidis occlusum erat, et uterus ipse, pariete quasi divisus in duas partes, in quibus aqua fluctuavit.

Nec tamen haec tria hydrometrae genera semper disjuncta sunt, contra plerumque duo conjuncta, vel tria cuncta, ita ut rarius ex hisce tribus generibus unum invenias. Huc accedit, quod saepe hydrops ascites, anasarca, hydrops ovarii, hydrothorax etc. vel aliae degenerationes simul cum hydrometra conjunctae appareant. Crebro aer sive aura fingitur in utero, ita ut hydro-physometram habeas.

Laborant autem mulieres hoc malo, vel gravidae, vel quae non sunt foetu praegnantes. Inde duplex morbus exoritur, *hydrometra gravidarum*, et *hydrometra extra graviditatem*, quae priore rarior. Utrumque morbum hac dissertatione inquiramus.

I. Hydrometra extra graviditatem.

§. 2.

Morbi descriptio.

Quum uterus non pertineat eas ad partes, quae ad vitam strictim sunt necessariae,

et quarum vices interpellatae, magnam vim habent in totum corpus; plerumque hic morbus initio, quum sensim irrepat, non facile cognoscitur. Initio quidem aegrotae valetudo firma videtur; et si postea molestias mulier sentit, sunt eae deducendae ex ipsius morbi progressu, quarum causam invenias in gravitate uteri, in partibus vicinis pressis, in consensu uteri cum aliis partibus, partim in nimia per hunc processum pathologicum effecta detractione colliquamenti nutritionis; quae molestiae fere hae sunt:. Femina aegrota laborat inopia appetitus, malo gustu, taedio, vomituritionibus et vomitu; lingua est arida, et sordida, saepius, nec autem semper, sitis fortior plerumque etiam debilior, alvus perturbata ac fere semper dura. Initio super symphysin ossium pubis parvulus apparet, durlusculus ac circumscriptus tumor, qui, quamquam dolor nullus sentiatur, celeriter crescit, ac quo major est, eo tumefactius, splendidius, ac frigidius est abdomen; nonnunquam fluctuans, ut in hydrometra ascitica; alias, ut in hydrometra oedematosa, viscidum. Simul aegrotae uterum gravari, premi atque urgeri sentiunt. Genitalia externa pedesque plerumque oedematosi; adest leucorrhoea et menostasia; rarissime tamen, praecipue apud mu-

lieres robustas, menses legitimi, ita ut solum portio vaginalis secretionem faciat. — Re accuratius examinata, orificium uteri clausum deprehenditur, portio vaginalis tenuis, tensa, nec tamen in altitudinem elata. In hydrometra ascitica digitis fluctuatio sentiri potest, in oedemate autem uteri substantia, mollis, fracida atque spissa. Mammae initio distentae, languescunt et marcescunt. Postea symptomata, quae oriuntur ex utero extenso et deprimente, varia ostenduntur. Magna quidem vis et libido adest urinae, quae vero non redditur, nisi multa aegritudine, inopia et doloribus; alvus simul cum perpetuo tenesmo obstructa. Ascensu uteri impeditur descensus septi transversi; inde respiratio arcetur. Ex quo necessario sequitur, non aequam sanguinis venosi justamque multitudinem in arteriosum mutari. Imminuto autem sanguine arterioso, vires corporis magis magisque franguntur ac debilitantur. Nascuntur autem oedemata, varices, adipis conglomerationes, denique hexis, quam sequitur certa mors; quae tamen quum rarissima hoc in morbo, ex aliis corporis affectionibus et degenerationibus dependere solet insanabilibus. — Quo enim hydrops procedit tempore, eodem uterus exformatur, et fibrae musculorum, quas in utero

gravido facillime sentire potes. Ex quo autem optimum morbi medendi remedium accipitur. Certis enim temporibus, quum aqua tamquam res aliena et inimica, nimiam vim habeat in uterum, contractionibus ab onere suo, hic se liberat. Hae evacuationes fieri solent singulis quibusque mensibus, aut secundis vel tertiis, rarissime sextis, haud raro cum magno parturitionis dolore conjunctae, quibus aegrota plerumque relevatur. Fit tamen ut repente aqua evacuata ex utero nimis velocem efficiat in organismum impressionem, quae convulsiones et mortem adducit. Aqua ipsa defluens est vel clara et liquida, vel gelatinosa, cujus elabitur, vel parva, vel immensa vis. Petrus Frank Tom. VI. pag. 299. mulierem se ait vidisse, cui defluxerint 180 librae aquarum sine ulla interpellatione. Saepius hydatides singulae effluunt, vel saccus magnus, in quo plures alii, iique minores, continentur. Ejectionem ipsam saepius sequitur blennorrhoea gravis et durans genitalium. Nonnumquam hydatides, majusculo cum strepitu, disrumpuntur in ipso utero. Verum hi exitus, ut consentaneum est, in hydrometra cystica et ascitica solum reperiri possunt; oedematosa hydrometra solvitur sudore crebriore et urina, vel liquida pedetentim destillant.

Aqua jam ejecta interdum morbus evanescit; saepius tamen redit, neque alia re evellitur, quam medico adjutore, vel natura medicatrice, vel simul cum vita aegrotae, quae ante quam moritur, fit hectica. Saepe autem simul cum aquae emissione vehementes ac delassantes haemorrhagiae afferruntur, vel prolapsus uteri, nonnumquam physometra, per atoniam uteri. —

§. 3.

Diagnosis.

Discrimen inter hydrometram et graviditatem saepe perdifficile est cognitu, ita ut medici peritissimi fallerentur. cf. Petr. Frank Epit. Tom. VI. Pars I. pag. 744. qui „Princi-„pis germani", ait, „jam provectae aetatis „uxor, cessante fluxu menstruo uterum sibi „et ubera indies magis turgere animadvertens, „archiatrum proprium atque rei obstetriciae „magistrum, ante multos satis annos, con-„sulit. Gravidam esse dicunt, atque singula „ad partum requisita, seduli ornant atque „praeparant. Loco foetus interim, femina „princeps insignem aquarum copiam utero, „mox abhinc collapsuro, explodit. Post an-„num circiter eadem haec phaenomena succe-„dunt. Aquarum novam ex utero profusionem

„praesagiunt, sed illarum invicem, foetus „vivax, non absque gravi famae virorum, in „arte diu versatorum, laesione excluditur."

Hic igitur morbus, etsi facillime confunditur cum graviditate, tamen medicis haec potissimum sunt observanda. Medicus non facile fallitur, si morbus ante pubertatem (id quod plures affirmant) vel annis climactericis apparet, et si certum est, coitum non esse praegressum. Tumor celerius crescit quam uterus gravidus, abdomen est frigidius, mollius, neque foetus tactu sentitur. Mense autem quinto foetus motiones non apparent, mammae marcescunt, factaque exploratione per vaginam, orificium uteri explanatum, portio vaginalis tamen aut fracida aut valde tenuis, mollis, fluctuans et frigidior est; neque tanguntur partes foetus, orificium non ascendit atque penitus est occlusum. Non solum per explorationem internam, sed etiam per explorationem externam fluctuatio percipitur. Menses in diagnosi certiores nos facere non possunt, qui plerumque et morbo, et verae graviditati absunt, quamquam rarissime adsint. Durare autem graviditas ipsa diutius solet hoc malo. Affectiones gastricae, nausea, taedium, vomitus, tardius hoc in morbo quam in graviditate apparent. — In graviditate

mox minui solent; in hydrometra autem augentur. Postremo, cum morbo conjungitur hydrops per totum corpus patens et hectica; mulieres autem gravidae nonnisi pedum oedemate et genitalium externorum laborant. Certissimum autem signum est aquarum profusio, qua abdomen imminuitur.

Tum caveat medicus, ne confundat hydrometram cum aliis hydropibus.

1) Cum ascite, in qua abdomen aequius est distentum atque fluctuatio facilius sentitur; in ascite multo prius oritur perturbatio coenaestheseos quam in hydrometra chronica. Hujus rei optima symptomata sunt: aquarum defluxus ex vagina, mammae simul cum utero affectae, ac status uteri internus.

2) Hydrometra discernitur ab hydrope ovarii ita, ut maxime observes symptomata praecedentia. Hunc vero morbum, quum fere semper nascatur ex inflammatione, antecedunt dolores, compressus et calor circa ovarium, quod plerumque sinistro in latere est affectum, igitur existit tumor primum in regione ovarii; nec autem super symphysin; sed etiam, hydrope ovarii crescente, orificium uteri propter pondus ovarii descedentis ex axi pelvis sublatum et in dextram conversum, sed immutatum. Morbo provecto, post uterum sanum,

et ante rectum, corpus quoddam alienum et elasticum sentitur. Malum autem, diu durans, lentissime accrescit.

§. 4.

Aetiologia.

Cujusque aetatis feminae huic morbo subjectae sunt; rarius tamen eum deprehendimus in puellis immaturis, maxime autem mensibus vel imminentibus vel desinentibus; plerumque annis climactericis. Statu enim valetudinis firmae secernitur et in cavea et in parenchymate uteri fluidum quoddam gasiforme, quod vero statu malae valetudinis aut spissum est, aut nimis copiosum; vel vasa resorbentia languescunt; vel res utraque conjuncta morbi est mater. Plerumque autem oedema uteri solum videtur derivandum ex imminuta resorbendi vi. Quum hydrometra ascitica et hydatica haudquaquam appareant, nisi ante factis membranis uterique orificio clauso, in aucta vasorum exhalantium vi, et in majore vegetatione consistere videntur; quare consequitur plerumque ex inflammatione praegressa, et externis laesionibus contusionibusque, secretionibus oppressis, lochiis, pedum sudoribus fugatis etc. Hydrometrae autem fontes haud raro sunt debilitationes, crebri

partus, abortus, justo majores et copiosiores sanguinationes, menses nimis copiosi, fluor albus, totius corporis infirmitas, unde maxime hoc malo laborant phlegmaticae et pingues, quae aetate provectiore, perturbationibus vim vitalem imminuentibus commoventur; tunc alii hydropes, hydrops ovarii, pectoris, abdominis.— Etiam hydrometra existit simul cum vitiis organicis uteri, ovarii, hepatis, lienis, peritonaei. Tum hic morbus nascitur in annis climactericis, ex nimia concubitus irritatione, ex potu et cibo irritante et jam amissa parturiendi facultate. Uterus enim tunc solus, sine ovario, generationis provinciam suscipit.

Degenerationes etiam organicae hydrometram proferunt. Uterus saepe est clausus atresia, duplici modo.

Primum: altera atresia est innata uteri orificio, vel ut ipse observavi in puella 20. ann. nata, vaginae anomala forma adest. In hoc, de quo cogito, malo, anterior vaginae paries super uteri orificium exit, quocum ibi conjungitur, ubi illa portionem vaginalem tangit, ita, ut digito immisso vaginalem portionem et uteri collum in posteriore parte deprehendere, in anteriore, per priorem parietem super orificium delapsum tangendo sentire possis, in tenui membrana ipsum orificium.

Deindè orificii uteri, et vaginae coalitio serius demum oritur, plerumque operationibus, vulneribus, gravi partu, ulceribus, syphilide, variolis, etc.

Saepe orificium alienis corporibus clausum est mechanice, vel grumo sanguinis, vel lymphae coactae frusto, quod fit in mensibus, vel fluxu lochiorum. Adsciscunt etiam sibi parturientes reliquiis placentae; interdum fieri solet, ut vel fluxus lochiorum in orificio spasmodice affecto, (etenim his temporibus crebriores sunt spasmi) retineatur. Haec tamen duo hydrometrae genera, brevi tempore, imprimis natura adjutrice, sanantur. Orificium autem saepe scirrho, polypis, steatomatibus, tumoribus glandulosis, etc. recluditur.

Sibi quidem persuadere facile aliquis possit, illis causis non serum sed potius sanguinem secerni atque retineri; tamen omnibus in chronicis affectionibus, uteri secretio magis serosa reperitur, praecipue in polypis et scirrho atque secretione initio etsi sanguinolenta et reclusa, sanguis tamen ipse solvitur, ita ut cruor onerosus deprimatur serumque supernatet.

§. 5.

Prognosis.

Prognosis plerumque est bona; natura enim ipsa optima est medicatrix. Morbus plerumque localis est, sine totius corporis affectione, saepius praetereuntes habet causas. Periculosior autem est hydrometra, si degenerationes aliarum partium, vel ipsius uteri accedunt; quare cellulosa maxime est perniciosa, quum malo laborare suescit organi parenchyma nec facile natura sola medicatrice exstirpatur. Quo debilior aegrota est, eo incertior prognosis, quae quoque infausta morbo ex hydrope communi nato, vel diutius durante, vel saepius redeunte; tum enim morbus ipse, viribus corpore consumtis hecticam et mortem ipsam secum ducit, vel debilitando mulieris foecunditatem destruit. Bona autem est, quae nascitur e noxiis transeuntibus velut ex spasmis, haemorrhoidibus fugatis, et suppressis lochiis, remorante placenta. Starkius, se vidisse narrat, vase lymphatico disrupto, repente, magnum quemdam uteri tumorem surrexisse, quo tertia hora mulier mortua sit. Fit interdum, ut aqua via inconsueta defluat. Dreisigius commemorat in libro, qui inscriptus est „Morborum chronicorum pathologia“ per contusionem in abdomine aquam

fuisse emissam; qua ejecta mulierem recuperasse meliorem valetudinem. In aliis aqua exiit auctis cutis secretionibus, vesicae, ulcerum atque glandularum pituitariarum. Interdum, quod autem rarissime fieri solet, vomitu spontaneo morbus depellitur.

Quo velocior et major, eo periculosior aquae defluxus; debilitationes, convulsiones, haemorrhagiae, prolapsus indicant omnino corpus fractum et atoniam localem; nocet quoque uterus justo detentior; nam repressionibus coercetur et impeditur respiratio.

§. 6.

Cura.

Dependet et hydrometrae cura a variis hujus mali generibus. Duplex autem est indicatio; prima qua aqua coacervata removetur; altera ex qua impeditur, quo minus aqua semel emissa iterum colligatur.

Prima indicatio: Aquam accumulatam removeas. Hoc saepe eo praestari potest, quod causam remotam rejicias; sed hac de re infra plura; nam haec curandi ratio indicatione secundae optime satisfacit.

Saepissime urgente praecipue necessitate, aqua subducenda est via directa. Hydrometra igitur ascitica bene cognita (nam in oedema-

toso hydrope via directa aqua subduci nequit,) reliquiae placentae, aut frustum muci, aut membrana tenuis orificium claudit, et uterus propter pondus suum descendit, saepe solo digito immisso impedimentum hoc tollere potes, atque aquam elicere. Rarius tamen haec medendi ratio adhibenda. Utero igitur elato, ita ut orificium attingi nequeat, vel orificio angustiore, quam ut digitum immittere possis, eundem ad finem specillo capitato vel cathetere femineo uti potes, quem in digito usque ad orificium immisso in cavum uteri imponas, atque sic contentis viam aperias.

Alias, si orificium membranis duris et ligamentosis est clausum, vel si revera atresia uteri adest, in auxilium vocetur chirurgia operativa. Immittitur digitus demonstrator sinistrae manus (melius et commodius si duo digiti) ita ut tangas orificium; deinde inducas acum triquetram vel Osiandri hysterotomum, usque ad locum perforandum tunc perfores atque vulnus amplifices cultro capitato. Ne tamen vulnus confestim sanetur, turunda vel calamus elasticus imponatur, et perite occurratur inflammationi et spasmo sequenti.

In hydrometra hydatidosa nonnulli statuerunt acum triquetram altius immittendam

esse, qua hydatides perforentur. Sed hanc rationem paullo audaciorem putarim, quum optima diagnosis falli possit. Caeterum non est tantum malum, ut periculosissima eadem ac perdifficili medendi ratione utaris. Nam facile laeduntur partes sanae et integrae, praesertim quum accesserit spasmus quidam, vel repentinus collapsus organi; nec in multis casibus succedere potest haec ratio medendi, propter hydatides, quarum sedes accurate explorari nequeunt.

In his igitur ut in omnibus casibus, in quibus talem curam formidant aegrotae, et in quibus membrana orificium claudens tenuis est, vel denique, si causa quaerenda est in reliquiis placentae, atque semper in hydrometra oedematosa cura interna sufficit. Hic etiam emittitur aqua via directa, contrahendi vi uteri excitata, vel indirecta, si corporis colatoria aperueris, diaphoreticis, diureticis, blandisque laxantibus; quae sola ratio probanda atque applicanda est in hydrometra cellulosa.

Contractio autem uteri adjuvatur medicamentis satis notis, quae sunt: Cinnamomum, tinctura sive aqua Cinnamomi spirituosa; Castoreum, imprimis tinctura castorei aetherea usque ad drachmam unam; Valeriana in

infuso, tinctura, extracto, ac praecipue oleum valerianae, Liquor cornu cervi succinatus, maxime tamen Secale cornutum, in pulvere ad grana V—X, vel in infuso ad drachmam dimidiam in unciis sex; alii praeferunt autem decoctum.

In cura externa adhibentur naphtha, linimentum volatile, balsamus opodeldoc, spiritus salis ammoniaci vinosus, balsamus vitae Hoffmanni externus, aliae infrictiones aethereae atque volatiles.

Diaphoresi aucta, aquam removere studeas; infuso florum Sambuci et Chamomillae, spiritu Mindereri et aliis ammonii praeparatis, fulfure, praeparatis antimonii, aliisque infusis calidis aromaticis; vel adjuvatur diuresis: senega, squilla, digitali, tartaro boraxato, ononide spinosa, baccis Juniperi etc, Hic commemoro, quod ipse bis in hydrope vidi, radicem Caincae (Chiococca racemosa. L.) alterum in hydrothorace, alterum in anasarca a medico, caeteris remediis plane destituto, felicissime esse adhibitam. Quare facile equidem adducar eandem medicinam huic morbo nostro applicare, cujus ad pertinaciam superandam saepe reliqua cuncta remedia non valent. Datur autem radix Caincae in decocto, conjuncta cum oxymelle squilitico vel colchico.

Concitetur etiam functio tubi intestinalis dditis emeticis, quibus partim accenditur houm remediorum efficacitas, partim revellitur, tque tunc praecipue systema lymphaticum ad najorem actionem excitatur. Etiam unguenum cinereum vel unguentum Kali hydroiodiiicum illiniri et abdomem emplastro mercuiali et cicutae detegi potest.

Secunda indicatio. *Cave ne aqua iterum colligatur.* Primum causa remota rejiiatur, ut huic satisfacias indicationi; deinde ires confectas corrobora, imprimis affecti rgani vitalitatem.

Saepe enim hydrops ortus est ex inflamatione praegressa, quae vero, quum nonum sit dissoluta, leniter perdurat, sananda ntiphlogistica medendi ratione. Rarius inammationem tam vehementem reperimus, ut enae sectiones indicatae sint; propterea, quod naxima parte, jam exsudationibus evanuit; ontra si dolores crescunt pressu externo, inrna exploratio dolorifica et mulier ipsa rousta est, optime conducunt hirudines et curbitae cruentae, quibuscum sales antiphloistici neutrales, addito nitro, conjungi posint, item derivantia remedia proba, vesicaoria, sinapismi, infrictiones unguenti Neapotani grysei, et unguenti e tartaro stibiato.

Diaeta leniter esse debet antiphlogistica; interdicuntur cibi tenaciores, pinguesque ac potus; monentur aegrotae de laboribus et contentionibus corporis, ardoribus, genitalibus in concubitu excitandis, incastis cogitationibus, onania, etc. contra earum animi variis distineantur oblectamentis.

Si hydrometra nascitur ex induratione quadam et degeneratione, ars non multum prodest; emollire studeas indurationes resolventibus et revulsionibus, fonticulis, setaceis; hydragyrum, cicuta, antimonalia interne adhibeantur, et caetera resolventia: herba Cardui benedicti, Marubium album, fumaria; Taraxacum. Si orta est hydrometra ex syphilide vel e cachexia alia, curatio morbi primarii prior est.

Organismus autem totus ita corroboretur, ut nova aqua gigni et collligi nequeat. Saepe hydrometra originem habet in haemorrhagiis aliisque debilitationibus; quare diaeta valida atque bene nutriens praescribatur, interdum aliquid vini, balnea, primum calida aliisque substantiis roborantibus e. g. calam. aromat., menth. piperita mixta, sensim sensimque frigidiora facta. Interna curatio constat aquae medicatae potu, remediis amaris, postremo china et ferro; adhibentur primum hujus me-

dicamenti leniora praeparata, flores ammoniaci martiales, et tinctura, postremo limatura ferri. Abdomini fasciae calidae imponantur, cingula herbis aromaticis repleta, injectiones aquae calcis et chinae decocti, infrictiones spirituosae et unguenti nervini etc. emplastra aromatica, de galbano crocato, adhibeantur vel simpliciter emplastrum picis imponatur abdomini.

II. Hydrometra Gravidarum.

§. 7.

Descriptio.

Hydrometra gravidarum crebrior hydrope extra graviditatem uteri oriri solet, et quidem serioribus graviditatis mensibus, post secundum vel tertium. Abdomen subito intumescit et brevi tempore, omnibus cum supra memoratis signis, valde amplificatur. Aquae sedes in hoc morbo etiam vel in substantia vel in uteri cavea esse potest. Si tamen est in cavea, retinetur aqua, vel internis uteri parietibus et ovi velamentis, vel singulis ejus membranis; itaque aquarum receptaculum est inter tunicam deciduam veram et reflexam,

aut inter tunicam deciduam et chorion; prior sedes magis usitata. Nonnulli hic adnumerant accumulationem magnam aquarum spuriarum et nimis magnam copiam fluoris amnios, quae intra amnion coacta, uterum valde distinet, diagnosinque non raro fallit. Aquae spuriae allantoide inclusae sunt, quae rarissime aperta usque ad tempus partus, plerumque pauculas tantum continet aquarum uncias; nam tertio graviditatis mense concludi solet; exceptiones miraculis adnumerandae. Huic statui Jörgius in libro: „Physiologisches und Pathologisches Leben des Weibes", hydropis velamentorum ovi, sive hydropis ovi nomen dandum esse proposuit.

Porro observatum est, placentam degenerasse in massam hydatidosam (botryoides); haec morbi genera et ovi in hydatides degeneratio, ad hydrometram gravidarum pertinent, cfr. Baumer „de placentarum uterinarum in molas vesicarias mutatione". Giessae 1776. Decursus morbi paene idem est quam hydrometrae sine graviditate. Nonnumquam ex utero defluxus fit aquarum, quem nonnulli hydrorrhoeam vocant. Morbi exitus plerumque est felix partus; rarissime quidem deprehenditur abortus, cujus tamen causa in aliis rebus quaerenda.

§. 8.

Diagnosis.

Diagnosis impeditior, quam quae est in hydrometra extra graviditatem. Cavendum enim, ne confundas nostrum morbum, neque cum ascite, neque cum simplici hydrope, neque cum graviditate molaria. — De diagnosi et discrimine, quod intercedit hunc morbum et asciten, vide quae supra disseruimus paragrapho tertio. A simplici hydrometra eo discernitur, quod graviditatis simptomata simul cum aliis absunt, et quod turbationes coenaesthеseos certiores, atque priores sunt illa morbi specie. Tum a simplici graviditate distinguitur, abdomine brevi tempore tumidiore, affectionibus sanitatis, ventre molliore et imprimis eo, quod foetus partes tam distincte sentiri nequeunt, mobiliores sunt, atque motiones et a gravida et a medico indistincte percipiuntur. Simul interdum fluctuatio animadvertitur; in hydrometra autem oedematosa, relaxatis abdominis musculis, substantia uteri crassa, ita ut digitus impressus foveam relinquat, sicuti in oedemate. — Per explorationem internam portionem vaginalem levem fracidamque invenimus, saepe etiam fluctuationem. Signum autem certissimum est frequens aquae deflu-

xus e vagina. Quod fit, ubi aqua in uteri cavea est copiosa, ita ut abdomen repente interdum imminuatur; vel si aqua in uteri tela cellulosa continetur, paullatim e vagina destillat. A graviditate molaria eo distinguitur, quod haec etiamsi abdomen velocius distendat, rarius tamen tertio quartove mense diutius durat. Hoc autem tempore hydrometra gravidarum nasci solet. Alterum discrimen constat in doloribus per impressionem abominis excitatis, ventris duritie, absentibus foetus motibus, et sanguinis iterato defluxu e vagina; id quod numquam fit in hydrometra. A maxima liquoris amnios coacervatione maxime eo differt, quod in illa aperte sentiuntur motus foetus, in hac autem perdifficile.

§. 9.

Aetiologia.

Hoc etiam respectu hydrometrae gravidarum magna est similitudo cum illa extra graviditatem; quare vide supra, paragraphum quartum. In graviditate, in qua major est impetus in uterum, actionem esse posse nimiam, facile est intellectu. Quare haec hydrometra derivanda esse videtur ex aucta exhalatione et ex praegressa levi inflam-

matione, ad quam uterus hac conditione facillime inclinatur; plerumque oritur ex rebus nocivis inflammationemque procreantibus, quales sunt flagellationes, concussiones; cibi potusque calidi, medicamenta diuretica, justo crebrior coitus, depressae haemorrhoides et sudores etc. etc. In cachecticis modo hominibus et infirmis nasci videtur ex imminuta resorbendi vi; tum enim saepe uteri oedemata existunt.

§. 10.

Prognosis.

Prognosis eadem atque in hydrometra extra graviditatem, bona. Plerumque in morbi decursu saepius defluit aqua collecta, quo defluxu aegrotae optime ita recreantur, ut feliciter pariant. Accumulatio aquarum in tela cellulosa uteri dispellitur demum lochiis et sudoribus puerperarum. Abortum faciunt rarissime, saepe tamen, praesertim quum aqua in ovi velamentis sit collecta, infans nascitur viribus consumptis vel mortuus. Non raro hic morbus in partu auctor est atoniae atque haemorrhagiarum. Maxime est impedita prognosis, si cum aliis hydropibus haec hydrometra est conjuncta. E tali enim societate

consequitur totius corporis debilitatio, cachexia et febris hectica; saltem lactis secretio semper est turbata, ita ut aegrota partui mammam praebere nequeat. Sequuntur semper, partu non lentissime procedente dolores secundarii maxime vehementes. Hoc in morbo maxime observandum, quod contractiones uteri, etsi saepius adsint, tamen solum usque ad foetum tendant, atque rarissime abortum procreent; quod explicare studuit Naumannus Bonnensis cfr. Dresdner Zeitschrift für Natur- und Heilkunde Bd. 5. Heft 2. qui haec scripsit: „non raro observamus, modico per plures hebdomades facto defluxu ex utero aquae, qui interdum mortem antecedet foetus, nullum tamen symptoma grave exsistere amplius; mulieres enim plerumque bene se habent et partum edunt integrum, justo tempore. Mirum autem hoc in casu, quod utero maxime distento, raro eliciuntur pariendi vires et abortus; quamquam omnes fere functiones per hydrometram sunt disturbatae. Naumannus hoc interpretatur ex uteri distentione, quae plerumque sensim sensimque fit, si autem fit repente, aut aquis accumulatis atonia quaedam substantiae uteri adsciscitur, quae per se quamdiu conjunctio placentae cum utero non est soluta, contractiones efficere non

potest, partus actiones locum habere possunt, si foetus in evolutione impeditur, vel si propter inopiam nutrimenti moritur. Cur vero, repente quidem effusis aquis hydrometrae, pariendi actiones tollantur et evellantur, auctor ille ex his causis demonstrare studuit. Aquis, ait, effusis, uterus contractus foetum arctius includit. Quod vero experientia et usu edocti sumus, secundum praegressam debilitationem, tam lente ac placide fieri, ut non nisi pluribus diebus post, portio vaginalis demum justam suam vim et facultatem adipiscatur. — Sanguis qui tum abunde influit, vias ubique apertas reperit, et vehementem abitum in foetum, qui, quum antea alimentis egeret, nunc eo avidius sanguinem accipit adfluentem; — simul mammae ante laxae indurescunt, intumescuntque, cutis denique turgor viget. Quibus rebus cunctis ipse sanguis ad uterum defluens optime ita derivatur, ut nulla re, quae contractiones efficere possit, superstite, graviditatis succesus minime impediatur."

Causas, quamquam acute et callide exposuit et declaravit vir ille doctissimus, tamen sunt, quae in me suscitent dubitationem. Primum probe non intelligo, quid sit, quod, omnibus organicis affectionibus turbatis et uteri atonià, contractiones efficiantur, quum

contra constet, eas potius his circumstantiis auferri. Neque hoc mihi satis liquet, quia portio vaginalis, non nisi pedetentim legitimam vim et strenuitatem nanciscatur, abortum impediri, quod, ut mihi videtur, illum potius adducat; neque quomodo abortus influxu quodam fiat in uterum; id quod Naumannus ipse statuisse videtur, dicens: sanguine derivato in mammas, in cutem externam, et ad foetum, abortum evitari. Charles Hall in collectaneis Froriepii scienter atque plausibiliter docuit, retardato sanguinis circuitu in foetu et utero, abortum nasci.

Equidem putarim, si fides Naumanno habenda, abortum multo frequentius fieri, quoniam in graviditate semper fere reprehenditur major congestio et circuitus sanguinis in utero. Rem totam, ut quam simplicissime interpretar, statuo. Aqua in uterum distentum atque evolutum, sicut corpus alienum agitat, eumque ad contractiones excitat, quibus aliena ex utero expellantur, foetus autem, qui hac in periodo non est alienus, conservetur.

§. 11.

Cura.

Ars in hac hydrometra gravidarum parum valet, immo magni momenti quid facere

non debet, propterea quod partim natura est optima medicatrix, partim quod plerumque magis nocet quam prodest, nam facile abortum efficit. Acquiescit igitur, in indagatione et exstirpatione causarum remotarum, si adsunt, et in mitigatione vel in lenimentis aegrotarum. (qua de re vide §. 6.) Ubi igitur molestias affert magna uteri amplificatio, adjuvetur fasciis aptis; ceterum regimen sanum praescribatur, animusque aegrotae exhilaretur. Diaeta etiam leniter sit excitans, atque roborans, mollia diaphoretica et diuretica praescribantur; valde autem cavendum a drasticis et pellentibus, quibus foetus facile efficitur abortus. Ononis igitur detur spinosa, senega cum aqua sambuci, spiritus Mindereri, quae conjunguntur cum subamaris et leniter resolventibus, calamo aromatico, fumaria, carduo benedicti. Ad roborandum china et vinum etiam adhiberi possunt. Cave etiam ne functiones cutis, renum et canalis intestinorum deprimantur. Ab externo infricentur res spirituosae, aromaticae, et omnino roborantes.

In partu videndum imprimis, ne praeceps fiat partus; nam tali cautione atonia et metrorrhagiae evitantur.

Post partum aliquod tempus adhibeantur diuretica et diaphoretica, quae excipiunt ro-

borantia; qua via enim optime impeditur, quo minus mulier in morbum recidat. Praecipue gestentur fasciae aromaticae circa abdomen et coitus interdicatur.